

quendi philosophorum. At vero quoties suppositum per virtutem sibi inhærentem sive intrinsecam immediate operatur, tum vere agit immediatione suppositi, etsi habeat aliud suppositum cooperans, seu simul efficiens, sive in eodem genere causæ, sive diverso; quia concomitantia alterius causæ non constituit mediationem propriam inter ipsa supposita causantia, quia nec illa mediatio invenitur secundum localem propinquitatem vel distantiam, nam possunt esse simul conjuncta, vel sufficienter applicata ad immediate efficiendum, ut maxime est evidens in Deo, respectu cujuscumque suppositi creati, neque etiam invenitur illa mediatio in habitudine causæ et effectus, quia productio talis effectus immediate potest fluere ab utroque supposito, sicut fluit immediate ab utriusque virtute. Ostensum autem est concursus causæ primæ esse immediate a virtute increata Dei, quæ virtus est intime in ipso Deo, imo est ipsum suppositum Dei, et intime adest omni operi causæ secundæ illud faciendo. Quid ergo amplius desiderari potest ad immediationem suppositi? Ratio enim alterius sententiæ solum probat in hoc concursu Deum non esse unicum suppositum agens, non vero non esse immediatum, quod longe diversum est.

7. *Obiectio diluitur.* — Sed objicies, quia communiter dicitur quod Deus operatur effectus causarum secundarum illis mediantibus. Et ita causa secunda vocatur proxima, et universalis remota, ut patet in cælo et in aliis intermediis causis. Respondeo etiam communiter dici, causam primam intimius et immediatius attingere et quasi penetrare effectum omnis causæ creatæ, quam ipsa causa secunda, quod, quia ad Dei perfectionem pertinet, majori proprietate est intelligendum, non solum de virtute, sed etiam de supposito, cum et in Deo hæc non distinguantur, et eadem sit utriusque ratio, ut declaravi. Dicitur ergo Deus agere mediis causis secundis, quia etiam illis dat virtutem operandi, et illas conservat, et suos motus agere sinit, et ita etiam per illas operatur, quamvis non per illas solas, sed etiam immediate per seipsum illas adjuvando, et immediate cum illis efficiendo, ut explicatum est.

8. *Eminentia primæ causæ hac in parte.* — Et in hoc superat Deus alias causas universales creatas et cælos; nam istæ ordinarie non agunt cum causis secundis inferioribus immediatione suppositi, sed virtutis, imo ordinarie non influunt in ipsam actionem causæ infe-

rioris, sed in ipsam causam, ut inferius explicabo, et ita respectu aliarum causarum creatarum universalium facile intelligitur, quomodo Deus intimius et immediatius agit cum causa inferiori. At vero, respectu causæ secundæ proximæ et particularis, non dicitur Deus immediatius agere propter solam negationem causæ mediæ: nam hoc modo etiam causa secunda proxima agit omnino immediate immediatione suppositi, id est sine medio; sed id dicitur vel propter altiore rationem immediationis, ad eum modum quo unus assensus dici solet certior alio, non propter solam carentiam formidinis, quæ in utroque potest esse integra, sed propter altiore rationem assentiendi. Sic ergo dici potest Deus immediatius influere, quia a se et essentialiter habet illam immediatam causalitatem, nec potest quidquam fieri sine illa, quod non ita est in causa creata. Vel etiam dici hoc potest, quia causa creata non intime adest suo effectui sicut Deus, quod maxime patet in causis secundis naturalibus, seu corporalibus; per se enim et immediatione suppositi solum agunt in passum in quantum illud attingunt, et per solam virtutem quasi diffusam penetrant ipsum. Deus autem non sic, sed intime adest, et per seipsum immediate agit in toto, et in singulas partes ejus. In causa vero spirituali, ut in voluntate, respectu sui actus, non ita procedit hæc ratio; prior vero ad illum modum loquendi sufficit.

CAPUT XXIX.

UTRUM PRÆTER SIMULTANEUM CONCURREM GRATIÆ, QUI EST IN ACTUM VOLUNTATIS VEL INTELLECTUS, SIT NECESSARIUS ALIUS PRÆVIUS IN POTENTIA RECEPTUS, ET A MOTIBUS EXCITANTIS DISTINCTUS: REFERTURQUE PRIMA SENTENTIA CUM SUIS FUNDAMENTIS.

1. *Ratio dubitandi, et status quæstionis.* — Quæstio hæc valde conjuncta est cum quæstione de auxilio efficaci gratiæ; est tamen in rigore distincta, et, magna ex parte, ex diversis principiis pendens, pertinetque ad auxilium per modum concursus, de quo disputamus, et ideo non potest hoc loco prætermitti. Duplici ergo ratione vel titulo potest hæc præmotio divina requiri ad actus voluntatis humanæ. Primo, ex generali ratione concursus primæ causæ cum secunda, sive naturali, sive libera. Secundo, ex peculiari necessitate, vel indigentia orta ex propria excellentia ordinis gratiæ,

et actuum ejus, quatenus vires naturales voluntatis humanæ excedunt. Hæc vero posterior consideratio pertinet ad librum quintum; ideo quoad fieri possit, illam a priori separabimus, et in illum locum eam remittimus. In priori autem sensu quæstio in præsentem tractanda est; nam, quia diximus in actibus supernaturalibus dari influxum immediatum Dei, per modum simultanei concursus, ex generali ratione et subordinatione causæ secundæ ad primam, videndum superest an ex vi ejusdem subordinationis et dependentiæ sit necessarium aliud auxilium a solo Deo ut a prima causa ipsi voluntati inditum, prius natura quam velit aut amet, vel similem actum efficiat, ut per illud physice juvetur, vel determinetur ad talem actum. Unde hæc quæstio duplicem generaliore involvit, una est de concursu Dei cum omnibus causis secundis, an sit influxus non tantum in effectum causæ secundæ, et simultaneus cum actione ejus, vel etiam sit influxus prævius in ipsam causam. Alia est an hic concursus prævius, saltem in causa libera et indifferente ad agendum hoc vel illud, aut agendum et non agendum, sit per se ac semper necessarius ad effectum seu proprium actum talis causæ. Prius ergo priorem quæstionem, deinde posteriorem prosequemur, cujus resolutionem ad supernaturales actus gratiæ in fine applicabimus.

2. *Prima sententia admittit necessitatem influxus prævi ad omnem actionem creaturæ.* — Prima ergo sententia docet necessarium esse hunc influxum prævi ad omnem actionem causæ secundæ, ex subordinatione et dependentia essentiali quam causa secunda habet a prima: hanc sententiam, tanquam communiter receptam in schola D. Thomæ, defendunt constanter moderni Scriptores physicæ prædeterminationis defensores; nam hanc præmittunt ut basim et fundamentum suæ doctrinæ de efficacia gratiæ. Et imprimis tribuunt illam Capreolo, 2, d. 1, q. 2, præsertim in conclusione 6, et ad argumenta contra illam. Sed ibi Capreolus necessitatem concursus simultanei expresse declarat, illamque, quatenus extra Deum est, dicit esse eandem actionem causæ secundæ, prout a Deo est. Alium vero influxum causæ primæ in secundam non distinguit nec declarat, sed loquitur eisdem modis quibus D. Thomas, quem allegat, præsertim in quæst. 3 de Potent., art. 7, de quo infra dicentur sumus. Citatur etiam idem Capreolus in 2, d. 28, quæst. 1, ad 12, contra secundam conclusionem. Sed ibi potius docet influentiam

generalis concursus positam esse in sola partiali coefficientia Dei, ut cap. 35 latius referam.

3. Præterea tribuitur hæc sententia Cajetano, 1 p., q. 14, a. 13, circa principium, et q. 19, a. 8, in fine; sed in his locis potius docet contrarium, ut capite 35 ostendam. Refertur præterea in eadem prima parte, quæst. 45, art. 5, ubi, Durando respondens, ait causam secundam non agere nisi ut instrumentum Dei, quia oportet ut agatur a Deo multipliciter, quod remittit ad modos numeratos a D. Thoma, dicta quæst. 3 de Potent., art. 7, in quibus videtur hic includi, de quo infra videbimus. Allegatur denique prima part., quæst. 115, art. 6, § *Ad evidentiam*, ubi non de concursu Dei, sed de influentia cælorum tractat, de qua est ratio longe diversa, ut postea videbimus.

4. *Hujus sententiæ defensores.* — Hanc vero sententiam aperte tradit Ferrar, 3 contra gent., cap. 70, § *Circa illam propositionem*; eandem tenet Cabrera, 3 p., quæst. 17, artic. 4, d. 2, § 3, num. 113, ubi variis exaggerationibus utitur, quibus respondere non est necesse, multaque allegat et congerit quæ ad rem non faciunt, quia confundit quæstionem universalem de generali concursu cum quæstione de auxilio gratiæ efficaci, de qua nunc non tractamus. Eandem fere eodem modo defendit Alvarez, disp. 18; et Ledesma, de Auxiliis, in principio quæstionis, conclus. 3, et latius art. 2, conclus. 2, et toto art. 3 et 18. Alios omitto, quia nihil superioribus addunt. Solet etiam hæc sententia tribui Aristoteli, Augustino, et maxime D. Thomæ, quorum testimonia nunc omitto, quia de illorum sententia speciale caput instituam. Aliqui etiam in confirmationem hujus sententiæ congerunt illa Scripturæ testimonia, in quibus dicitur Deus facere ut faciamus et ut præcepta impleamus, vel incipere in nobis velle, et illud perficere, et similia, quæ de auxiliis gratiæ prævenientis specialiter dicta sunt, et ideo nihil ad præsentem causam faciunt, ut in sequentibus, et latius ac proprius in libro quinto, ostendam. Auctoritas ergo hujus sententiæ non est major quam a nobis proposita est; rationum ergo fundamenta perpendamus.

5. *Probatum ratione prima, quia secunda causa nihil agere potest nisi in virtute primæ.* — Prima ratio sit, quia causa secunda nihil agere potest nisi in virtute primæ; ergo necesse est ut Deus prius illi imprimat suam virtutem, per quam ad agendum ultimate compleatur. Consequentia probatur, quia si nihil

prævium a Deo reciperet præter concomitantem actionem, non ageret in virtute Dei, sed sola propria virtute. Antecedens autem probatur, quia causa secunda tribuit suo effectui aliquid esse existentia; sed hoc esse non potest tribuere nisi in virtute primæ causæ, et per motionem actualem ejus, qua et in sua virtute activa compleatur, et a primo agente ad efficiendum moveatur; ergo necessario indiget causa secunda illa præmotione. Minor probatur, quia esse existentia est ultima actualitas rei; virtus autem operativa creaturæ est actus admistus potentia; ergo non potest per se sua virtute efficere ultimam existentia actualitatem, quia principium agendi debet habere non minorem actualitatem, quam ejus operatio. Et confirmatur, quia forma creata seu potentia est tantum actus primus, et consequenter est actus admistus potentia; ergo non debet habere tam perfectam actualitatem quantum habet operatio, quæ est actus secundus; ergo oportet ut per motionem præviam illam recipiat.

6. *Secunda ratio: esse existentia est proprius Dei effectus, qui a nulla creatura, nisi tanquam ab instrumento Dei fieri potest.* — Secunda ratio principalis est, quia esse existentia est proprius effectus Dei; ergo a nulla creatura fieri potest, nisi tanquam ab instrumento Dei; ergo prius debet recipere virtutem, seu motionem, qua ut instrumentum Dei ad dandum esse suo effectui moveatur seu compleatur. Consequentia prima clara est, quia proprius effectus Dei ab illo tantum principaliter fit; ergo inferiores causæ non attingunt illum, nisi in virtute Dei; ergo oportet ut ab illo prævia motione tanquam a primo artifice moveantur. Antecedens autem probatur, quia esse est universalissimus effectus, ac proinde est proprius universalissimæ causæ, quod sentit auctor libri de Causis, dicens intelligentiam non dare esse, nisi in quantum est divina. Et apertius illud principium tradit D. Thomas, 1 p., q. 45, art. 5, et 3 contra gent., cap. 63, et q. 3 de Potent., a. 7; maxime vero dicitur hæc ratio sumpta ex solutione illius articuli, quam in capite 44 pertractabimus.

7. *Tertia ratio: concursus causæ secundæ pendet essentialiter a concursu causæ primæ.* — Tertia ratio sit, quia concursus causæ secundæ pendet essentialiter a concursu causæ primæ; ergo concursus causæ primæ est prior ordine causalitatis; ergo recipitur in ipsa causa secunda, prius natura quam ipsa agat. Consequentia sunt claræ. Antecedens autem probatur,

quia alias causa secunda posset agere sine auxilio causæ primæ, et sic essent plures causæ primæ, seu plura prima principia, quæ est hæresis Manichæorum. Sequela probatur, quia de ratione principii primi est ut possit agere sine auxilio prioris agentis, et sine influentia illius: si autem causa secunda vel voluntas creata ageret aliquid sine prævia motione prioris agentis, ageret sine auxilio et influentia ejus; ergo esset primum principium suæ actionis; et sic essent plura principia. Et hæc ratio dicitur desumpta ex D. Thoma, in 2, d. 38, q. 2, a. 2, ubi specialiter agit de actu peccati, ut actus est, et probat esse a Deo, ratione sumpta ab illo absurdo, quod voluntas creata esset primum principium suæ actionis, si aliquam actionem posset producere, cujus auctor Deus non esset. Induciturque statim responsionem quorundam negantium illam sequelam, quoniam de ratione primi principii non est tantum agere a se, sed etiam esse a se, quod neque voluntas neque ulla causa creata habet.

8. *Confirmatur hæc ratio.* — Refutat autem D. Thomas responsionem, primo, quia virtus ab essentia producit, et operatio a virtute. Unde *cujus essentia ab ipso est* (inquit), *oportet quod virtus et operatio ab illo sit.* Secundo, quia per illud responsum, licet evitetur ne causa creata sit primum ens, non evitatur quin *sit primus agens, si ejus actio in aliud prius agens non reduceretur, sicut in causam.* Tertio, quia quod non habet esse a se, non potest habere a seipso agere: sed potentia creata non habet esse, a se, hoc quod est actualiter influere in suam operationem, sed hoc ipsum accipit a Deo; ergo necesse est ut Deus influat, in ipsam potentiam creatam, aliquid prævium quo moveatur et applicetur, ut actualiter agat. Consequentia videntur claræ, et minor est certissima; major autem a D. Thoma supra probatur, quia res quæ non habet esse a se non potest a se durare; ergo neque potest a se agere. Ab aliis autem probatur, quia etiam in ipsa Trinitate Filius non habet a se producere ad intra, sed a Patre, quia non habet a se esse, sed a Patre, ut docet Concilium Florentinum, et Filius ipse testatur, Joan. 5: *Non potest Filius a se facere quicquam*; ergo multo minus potest creatura agere a se.

9. *Altera confirmatio.* — Confirmatur hæc ratio, quia alias aliquid esset in creatura quod non esset a Deo; nam, præter virtutem permanentem ad agendum et actionem, est in causa secunda agere vel determinari ad agendum,

et hoc est aliquid in illa, quod non fit per concursum simultaneum in effectum: ergo oportet ut fiat a Deo per proprium influxum in causam, aut habeat illud causa secunda a se, et sine Deo. Tandem explicatur aliter hæc ratio, quia operatio causæ secundæ est effectus divinæ præmotionis, quia causa prima facit ut secunda operetur; ergo præcedit divina præmotio, quia causa præcedit effectum suum.

10. *Quarta ratio ex essentiali subordinatione causæ secundæ.* — Quarta ratio, similis præcedenti, est, quia omnis causa secunda subordinatur primæ essentialiter; ergo priusquam causa secunda operetur, movetur a prima per influxum aliquem in ipsa causa secunda receptum, priusquam fluat in effectum. Antecedens certissimum est; consequentia vero probatur multis modis. Primo, quia Deus non dicitur causa prima solum propter majorem perfectionem, alias Angelus supremus diceretur causa prima respectu rerum omnium naturalium, quia est per se perfectior illis; ergo dicitur prima, quia prius movet ipsam causam secundam. Secundo, quia alias non esset ordo per se inter causam primam et secundam, quia nec ordo perfectionis constituit ordinem per se quoad causalitatem, ut est per se notum, nec sola concomitantia in operando constituit ordinem per se inter plures causas, ut patet in multis trahentibus lapidem; ergo ut sit ordo per se inter causam primam et secundam, necesse est ut prima præcedat præmovendo secundam, et influendo in ipsam. Tertio, quia omnis causa secunda est movens mota, quia se habet ut instrumentum respectu primæ; ergo e contrario, si agit absque præmotione prioris causæ, est simpliciter causa prima, et priori non subordinatur. Quarto, quia omnes causæ universales creatæ, ut sol et stellæ, cum cooperantur causis inferioribus, aliquid in illas influunt prævium ad operationem; ergo multo magis Deus.

11. *Quinta ratio, ex eo quod causa secunda non facit nisi quod Deus vult illam facere.* — Quinta ratio principalis et generalis etiam est, quia causa secunda non facit nisi quod Deus vult eam facere; præcedit ergo voluntas efficax Dei, non solum antecessione æternitatis, sed etiam ordine causalitatis et naturæ, ante omnem actionem causæ secundæ; ergo Deus per illam voluntatem efficacem physice præmovet et applicat causam secundam ad suam operationem. Probatur hæc consequentia ultima, quia voluntas Dei absoluta est efficacissima, et ipsius velle est facere, et ita per illam volun-

tatem physice concurrat ad actionem causæ secundæ; ergo concurrat præmovendo illam, et faciendo ut infallibiliter faciat. Atque hæc ratio de omni causa creata, sive naturali, sive libera, et de omni effectui reali, cujuscunque ordinis sit, procedit, quia nihil potest in rerum natura fieri, nisi quod Deus absolute et efficaciter fieri vult.

12. *Sexta ratio: agentia naturalia et inanimata non possunt se sua virtute de potentia ad actum reducere, et se illa perficere.* — Sexta ratio specialis sit de agentibus naturalibus inanimatis, quia omne agens creatum, cum operari incipit, reducitur de potentia in actum, et ita agendo perficitur: sed ista agentia naturalia et inanimata non perficiuntur nec actuantur sua actione formali; ergo necesse est ut perficiantur motione aliqua prævia, quam a prima causa recipiunt. Major videtur philosophorum consensus cum Aristotele, 8 Physic., cap. 5. Minor etiam probatur facile, quia ista agentia solum agunt per actionem transeuntem, quæ est in passo, et non in agente, juxta receptam doctrinam, et ideo non perficit formaliter ipsum agens; ergo oportet ut antecederet ab ipso Deo perficiatur.

13. *Septima ratio circa actus vitales.* — Septima ratio specialis additur de actionibus vitalibus, quia essentialiter pendent a potentia vitali. Unde fieri etiam non potest de potentia absoluta, ut Deus producat actionem vitalem creatam, nisi mediante principio vitali, cum dicat intrinsecum ordinem ad potentiam vitalem; ergo impossibile est quod Deus, suo concursu, influat in actionem vitalem, nisi prius natura influat in ipsam causam vitalem, per quam debet produci vitalis actio.

14. *Octava ratio, ex actione libera voluntatis quæ indiget prædeterminatione, cum ipsa sit indeterminata.* — Octava ratio specialis additur de actu libero voluntatis, quia voluntas natura sua est indeterminata ad producendum vel non producendum talem actum, seu ad producendum hunc vel alium contrarium; ergo non potest rationem inchoare, nisi prius natura Deus influat in ipsam voluntatem, prædeterminando illam ad talem actionem potius quam ad aliam. Probatur consequentia, quia voluntas nunquam potest prodire vel inchoare actionem nisi determinatam, et in particulari: a causa autem indeterminata, in eo statu manente, non potest determinatus effectus prodire; ergo oportet ut prius prædeterminetur a Deo, quia nullum est agens superius a quo possit prædeterminari, Consequentia cum ma-

jori evidentes sunt. Minor autem probatur imprimis auctoritate Commentatoris, 2 Physic., text. 48, et D. Thom., 1 part., quæst. 19, a. 3 ad 5; deinde ratione, tum quia quamdiu causa est indeterminata, non est cur magis hunc effectum determinatum quam alium efficiat; tum etiam quia talis causa non est plene in actu, sed est in potentia, et ideo ab illa, ut sic, non est determinatus effectus. Tum præterea quia omne quod quandoque est agens actu, quandoque in potentia, indiget moveri ab alio, et ideo promovendum est ad moventem, qui sit purus actus: talis autem est voluntas libera creata, ut interdum sit in potentia, quandoque in actu; ergo revocanda est in Deum ut in primum moventem.

15. *Prima confirmatio.* — *Secunda.* — *Tertia.* — *Ultima.* — Confirmatur primo hæc ratio, quia nisi Deus suo influxu ita præveniat causam liberam, sequitur omnes actus liberos fortuito et contingenter evenire respectu Dei. Consequens est falsum, et contra debitum ordinem divinæ providentiæ, et contra ejus perfectionem, quæ non permittit ut casus et fortuna in Deum cadant. Sequela probatur, quia si Deus non ita prævenit voluntatem creatam, ejus libera determinatio non pendet ex divina voluntate et providentia, sed ab ipsa voluntate se libere determinante; ergo talis determinatio semper erit contingens, et casu ac fortuito eveniet respectu Dei. Confirmatur secundo eadem ratio, quia alias Deus non esset prima causa determinationis liberæ voluntatis, quod est absurdissimum, quia illa determinatio est aliquid in rerum natura: quidquid autem est aliquid, est a Deo ut prima causa; ergo. Sequela probatur, quia, si Deus non prædeterminat voluntatem, ergo determinatio ejus non est a Deo, sed a voluntate primo et per se applicante se ad operandum, prius natura quam Deus in illam influat. Confirmatur tertio, quia libertas creata ita subordinatur divinæ, ut, formaliter loquendo, in divinam libertatem et voluntatem, tanquam in causam primam physicam reducatur, etiam in genere physico, juxta doctrinam D. Thom., 1 part., quæst. 19, art. 8, ibi a Thomistis communiter receptam, ut Ledesma allegat; ergo necesse est ut operatio etiam voluntatis liberæ sit a Deo, ut præmovente libere, ut inde habeat voluntas creata libertatem suæ determinationis. Confirmatur ultimo, quia vel voluntas humana determinat divinam ad hunc particularem effectum, vel e converso. Primum dici non potest; ergo secundum, quia non est medium, alias utraque

æque primo se determinaret, quod est contra divinam perfectionem, et esset quasi casuale et fortuitum. Probatur minor, quia illa etiam est imperfectio divinæ voluntatis; penderet enim a creata, et ab illa modificaretur concursus ejus.

16. *Ultima ratio in actibus supernaturalibus.* — Ultima ratio affertur, quæ maxime videtur actibus supernaturalibus congruere, quamvis ab aliquibus etiam ad bonos actus morales ordinis naturalis accommodetur, sumiturque ab inconvenienti, quia initium talium actuum, sive fiant ante habitum, sive ex illo, sumendum est a præmotione Dei, quæ in voluntate præcedat, et physice actum efficiat, quia alias primum initium piæ operationis esset ex nobis, nam homo esset qui primo illam inciperet. Consequens autem est contra definitionem fidei; ergo. Sequela probatur, quoniam si voluntas, affecta habitu infuso, sine præmotione Dei posset uti illo habitu et innata sua libertate, jam ipsa voluntas primo inciperet actum illum, ac proinde ab illa esset initium salutis quoad talem actum. Minor autem et falsitas consequentis probatur. Primo ex Concilio Arausicano, can. 25 dicente: *Hoc salubriter confitemur, quod in omni opere bono nos non incipimus, et postea per Dei misericordiam adjuvamus; sed ipse nobis, nullis præcedentibus bonis meritis, et fidem, et amorem sui inspirat.* Secundo, ex Concilio Senonens., in principio, dicente: *Accedentem ad Deum oportet primum divinæ gratiæ munere adjutum credere, deinde bonis operibus intendere, in quibus efficiendis et liberum arbitrium operatur, et gratia, primo tamen, et principaliter gratia. Quare qui hominem bene operari et salutem consequi arbitratur sine gratia, aut primatum boni operis libero arbitrio adscribit, non gratiæ, Pelagianus censendus est.* Tertio, quia alias aliquid proprium haberet homo in negotio salutis quod non accepisset ex gratia, contra illud Pauli, 1 ad Corinth. 4: *Quid habes quod non accepisti?* Sequela probatur, quia voluntas, quod actu operetur, non habet ab habitu supernaturali, quia solus habitus non dat voluntati quod infallibiliter operetur, sed solum ut possit operari, si velit. Concursus etiam Dei, licet sit ordinis supernaturalis, non tribuit efficienter voluntati quod operetur, nec facit illam incipere, sed concurrat cum illa simul ad actualem operationem, si ipsa voluerit operari; ergo quod voluntas operetur, habebit ex seipsa, et non ex gratia, quod dici non potest.

CAPUT XXX.

QUID SIT CONCURSUS PRÆVIUS, ET QUOD MUNUS EJUS
OB QUOD NECESSARIUM ESSE CREDITUR.

Non possumus de prædicta sententia ferre iudicium, nisi prius sensus illius exacte intelligatur. Unde, quia in illo explicando defensores ejus non conveniunt, nonnullis interrogationibus seu dubitationibus propositis, illum inquirere necessarium duximus.

1. *An concursus ille prævius sit aliquid creatum.* — *Ostenditur esse.* — Prima interrogatio est, an hic concursus sit aliquid creatum, necne? Sed in hoc puncto non invenio controversiam inter dictos auctores. Nam licet aliqui dicant Deum movere causam secundam per voluntatem suam immediate, et ipsammet volitionem Dei vocent motionem vel applicationem causæ secundæ ad agendum, illud non potest intelligi de motione qua causa secunda movetur formaliter, sed de motione effectiva, per quam influit Deus in creaturam, quæ proprie non est concursus ipse formalis, sed concursus principium, quo Deus effective influit in creaturam: nam illud principium increatum est, sive dicatur esse in Deo per modum virtutis activæ, sive per modum actionis immanentis, et virtualiter transeuntis. Hic autem loquimur de influxu qui, juxta hanc sententiam, ab hoc principio increato manat in causam secundam, prius natura quam agat. Et hoc necesse est esse aliquid creatum. Primo, quia fit a Deo in ipsa causa secunda. Secundo, quia per illum movetur physice et realiter ipsa causa secunda; supponit enim illa sententia causam secundam non posse agere nisi motam: non movetur autem formaliter per volitionem Dei increatam, ut per se notum est, nam per illam non se habet formaliter causa secunda aliter quam prius; ergo per aliquam mutationem intrinsecam, quæ in illa de novo fit, movetur; ergo motio prævia necessaria est aliquid creatum.

2. *An concursus prævius generalis sit idem in omnibus causis et quoad omnes effectus.* — *Ratio dubitandi.* — Secunda interrogatio est, an hic prævius concursus generalis primæ causæ sit ejusdem rationis in omnibus causis secundis, quoad omnes effectus et actiones earum, vel in eis varietur, et quo modo. De concursu enim comitante et simultaneo diximus supra, et est per se evidens, multiplicari et dis-

tingui pro varietate actionum causarum secundarum, quia et est idem cum ipsa actione causæ secundæ, et ad eundem terminum tendit. Non procedit autem hæc ratio eodem modo in concursu prævio, si detur, nam ille distinguitur, ut statim dicam, ab actione causæ secundæ, et est aliquo modo principium ejus. Unde non respicit actionem causæ secundæ tanquam terminum, proprie loquendo, sed tanquam actionem a se emanantem, et terminum illius actionis respicit tanquam effectum. Unde non oportet quod ab actionibus causarum secundarum vel terminis sumat distinctionem, nam poterit esse eminentius quoddam et quasi universale principium plurimum et variarum actionum. Explicatur, supponendo præmotionem illam esse qualitatem; nam consequenter dicendum, esse qualitatem activam, quæ ex sua natura et particulari modo est propria virtus instrumentalis causæ primæ, ut prima causa et universalis est; ergo licet sit in se unius simplicis entitatis et speciei, potest esse universale principium per quod causa prima, cum omnibus causis secundis, ad omnes earum actiones, quantumvis distinctas, operatur, et pro voluntate ejusdem primæ causæ illas determinat vel applicat ad varias actiones pro causarum secundarum varietate. Idemque dici poterit de illo concursu, etiamsi fingatur ut pura motio, quæ dicitur esse motio virtuosa: unde in suo genere poterit habere virtutem illam cum dicta eminentia et universitate.

3. *Varium et diversum esse volunt illius auctores.* — Nihilominus defensores illius sententiæ, licet interdum magnam et eminentem virtutem tribuant illi motioni, ita ut sola possit aliquando supplere principium activum proximum causæ secundæ, si illi deest; nihilominus in præsentem non ita sentiunt, sed hunc concursum variari significant juxta causarum secundarum in suis virtutibus et actionibus varietatem. Et imprimis negari non potest quod talis influxus in causam spirituales vel materialem genere distinctus sit; nam est quoddam accidens quod in re corporea materiale est, in re vero spirituali spirituale, neque hoc majori probatione indiget. Deinde non minus certum est influxum in causam secundam, verbi gratia, voluntatem, ad actum naturalem vel supernaturalem distingui, etiam in esse entitatis, seu qualitatis naturalis aut supernaturalis, quia ad naturales actus non est per se necessarius influxus prævius supernaturalis, nec ad actus supernaturales sufficere potest